



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 13. Res in Neapolis Regno

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. rum luctu. Ex altera parte Eduardus
 A. C. 1460. de Menezes cum intelligeret, quod quæ-
 dam arx Alcafariam parvam inter &
 mare, Mauris ad invadendos Lusitanos
 viam sterneret, minusque tutum navium
 cursum redderet, illam solo æquari, ac
 nonnulla munimenta erigi iussit, quibus
 infideles accessu ad regnum arceret.

§. XIII.

Res in Neapolis Regno.

Postquam Antonius Centiglia e carceribus, ad quos a Ferdinando detrusus fuerat, evadendi copiam nactus erat, in Calabriam rediit, ac totam ferme hanc provinciam Joanni Renati Andegavensis Filio asseruit. Ferdinandus prospero æmuli sui successu nihil animo fractus, totam hyemem conscribendis exercitus supplementis gnaviter impendit; Neapolitani enim, quis alter alterum affectu erga Regem suum vinceret, certabant, cunctique pro virium suarum ratione eisdem opem præstabant, quinimo ipsæ etiam foeminæ gemmas suas offerebant. Nec remissius studium exhibuere summus Pontifex, & Mediolanensium Dux, qui Ferdinando copiosas militum suppetias miserunt; ac denique Luccensis etiam Respublica ejusdem partes tuebatur. His igitur subsidiis auctus Ferdinandi exerci-

exercitus facili negotio ea, quæ Calabriæ Dux Sæcul. XV.
eripere nitebatur, recuperare poterat. A.C. 1460.

§. XIV.

*Angliæ Regina victoriæ fructibus
frustrata.*

Haud longo tempore Angliæ Regnum
victoriæ, quam Regina reportaverat,
fructu potiebatur; ipsamet enim duplici
errore optimas spes succidebat. Primus
erat, quod nimis præpropere, ac iniquis-
simo rerum Anglicarum tempore ma-
gnam exercitus partem sacramento ab-
solveret. Alter vero, quod pertinaci
nimis imperio Londinenses adigeret, ut
ei seditiosos traderent, omnes debitis
pœnis plectendos. Præterea necdum
urbem ingressa necessarium pro exercitu
suo commeatum a Magistratu petiit, nec-
non ad deferendam annonam plaustra
advehi iussit. Regii Prætorii Præfectus,
cui hoc negotium demandatum erat, po-
stulata negare non audebat; unde nil in-
tentatum reliquit, ut regiis Ministris ea,
quæ postulabant, suppeditaret; verum
rem exequi, non jam sui erat arbitrii;
populus enim Eboracensium factioni ad-
dictus, summa pervicacia obstitit, nec
ullo pacto permisit, ut currus ad urbem
adveherentur. Regina comperta teme-
ritate, in rebellem hanc populi foecem

Hist. Eccles. Tom. XXIX. B **omni**